

eo sensu intellexere, quod vallis *Iosaphat* omnes iudicandos homines ambitu suo conclusura sit, sed solum, quod haec vallis sit veluti centrum futurum immensae illius multitudinis hominum congregandorum, iuxta illud *Ioël*. 3, v. 12: *Consurgant et ascendant gentes in vallem Iosaphat: quia ibi sedebo ut iudicem omnes gentes* IN CIRCUITU, sive, ut paraphrasis chaldaica habet, *ut iudicem omnes gentes CIRCUMVICINAS*.

COROLLARIUM II. Hoc sensu intellecta nostra sententia facile explicatur, quomodo omnes gentes congregandae sint coram Christo iudice in valle *Iosaphat* universale iudicium instituentem; ut ex dictis abunde liquet, et ex eo, quia clariss. Feller (1) contra regium architectum castrensem (ingénieur) et geographum *dom. Joulain* (2) facto calculo demonstrat, quod spatium quadratum 100 italicorum milliarium (seu circiter 50 gallicorum, aut 25 germanicorum milliarium sufficiat capiendis omnibus hominibus, qui ab *Adamo* usque ad annum mundi 6000 seu per sex millia annorum extitere et existent.

COROLLARIUM III. Non est necesse, ut amplectamur sententiam *Origenis* (3), et aliorum, qui teste *Calmeto* (4) negant, gentes in valle *Iosaphat* congregandas ad iudicium,

(1) In philosoph. catechismo, p. 2, c. 2, art. 6 de resurrectione mortuorum, § 3, mihi pag. 318-324.

(2) *D. Joulain* demonstrare (sed frustra) conatus est, quod universalis resurrectio mortuorum in nostro orbe terrarum possibilis non sit, sed longe maior seu spatiosior globus terrestris creandus sit, si omnes omnium seculorum homines resurrecturos capere deberet. Huius auctoris hac de re dissertatio, seu putativa demonstratio extat in *Journal encyclopédique sept.* 1770, pag. 167.

(3) Comment. in *Math.* c. 25, v. 32.

(4) Comment. in *Ioël* c. 3, v. 2.

et censent, populos potius super universam terram congregandos, et fulgorem Filii Dei similem futurum splendori fulminis, qui temporis momento eodem in omnes emicat terras. Non est, inquam necessarium, hanc sententiam adoptare. Communior enim altera sententia de loco iudicii, nimirum de iudicio in valle *Iosaphat* instituendo, quam haecenus propugnabimus, nihil absurdi aut implicatorii continet, si eo modo, quo supra diximus, explicetur.

CAPUT III.

De Amos.

Amos, hebr. עָמוֹס h. e. *oneratus* (5); alius ab illo Amos אֲמוֹץ qui fuit pater *Isaiae* prophetae, erat de tribu Iuda, unus in pastoribus de *Thecuae* (6): quod oppidum sex millibus ad meridianam plagam a *Bethleem* abest, ut ait s. *Hieronymus* (7); et quidem *armenarius* (8) h. e. opilio, ut pariter ait *Hieronymus* (9). Prophetavit ad regnum *Israël*, seu ad decem tribus: obiter tamen etiam ad *Iudam*, et ad alias gentes. *Israëli* captivitatem praenuntiat assyriacam, Iudae babyloniam; mixtis hinc inde laetis praenuntiis de *Messia*, qui libertatem, pacem, omnemque prosperitatem, et quasi aureum seculum in orbem

(5) Nominis hebraici *Amos* non una omnium est interpretatio. Nam iuxta s. *Hieronym.* (Praefat. in *Amos*) et *Tirinum* (Praefat. in *Amos*) hoc nomen significat *Populus avulsus*; iuxta *Xav. Widenhofer* (Praefat. in *Amos*), et *Franc. Haselbauer* (in lexico hebraico-chaldaico) significat *oneratus*, et quidem iuxta *Haselbaurianam* expositionem *oneratus lingua*, sive *blaesus*.

(6) *Amos* c. 1, v. 1.

(7) Praefat. commentarii in *Amos*.

(8) *Amos* c. 7, v. 14.

(9) Praefat. comment. in *Amos*.

invehat. Dum in *Samaria* et *Bethel* idololatrias increpat, ab *Amasia* sacerdote idololatra varie afflicto, tandem per filium eius *Osee* tempora vecte transfixus est, ac semivivus in *Thecuae* devectus, post paucos dies ex vulnere occubuit (1). Sanctorum catalogo adscriptus legitur in martyrologio romano 31 martii.

152. QUÆRES I. Quomodo verum sit illud (*Amos* 5, v. 25 et 26): NUNQUID HOSTIAS ET SACRIFICIUM OB- TULISTIS IN DESERTO QUADRAGINTA ANNIS, DOMUS ISRAEL? h. e. non obtulistis: ET PORTASTIS TABERNACULUM MOLOCH VESTRO, ET IMAGINEM IDOLORUM VESTRORUM etc.; cum tamen nemo negare possit, in deserto ab *israëlitis* (*Exod.* 24, v. 5, item *Levit.* 8, v. 1, 2 et seq.) Domino oblata fuisse sacrificia? R. Dist. Nemo negare potest, in deserto ab *israëlitis* Domino oblata fuisse sacrificia primis duobus annis, conc.; residuo tempore peregrinationis per desertum, neg. Nam post caput 10. *Levitici*, toto reliquo *Levitico*, *Numeris*, et *Deuteronomio* nusquam legimus *israëlitas* sacrificasse: adeoque post erectionem tabernaculi, et consecrationem *Aaronis* et filiorum eius, sacerdotes nunquam vel raro obtulerunt Deo sacrificium in deserto per 38 annos et fere undecim menses (2); sicut in eodem deserto nec circumcisi fuerunt, ut constat ex *Iosue* c. 5, v. 7. Ratio utriusque potuit esse, quia semper incerti, quamdiu subsistere liceret, ad omnem columnae nubis motum movere castra debebant; vel id non fecerunt ob continua murmura,

(1) Ita de mortis genere, quo *Amos* propheta obierit, testantur *Epiphanius* de vita *Prophet.* cap. 12. *Isidorus* de vita et morte *Ss.* cap. 45. *Doroth.* *Synops.* c. 2. *Chronic.* *Paschal.* pag. 147. *Martyrol. roman.* ad diem 31 martii. Alii tamen aliter loquuntur de genere mortis, quo hic s. propheta obierit.

molestias itinerum, defectum pecorum etc., quod inde colligimus, quia Deus apud prophetam *Amos* cit. loc. *israëlitis* neglectum veri cultus divini exprobrat, et ut *Tirinus* (3) exponit, ad eos reipsa intendit dicere: « Vos o *israëlitae!* per 40 annos in deserto non sacrificastis; interim tamen sat otii, sat animi vobis tum erat ad portandum *Tabernaculum* idoli *Moloch*, et victimis eidem instruendum etc.

DICES: Iuxta modo dicta *israëlitae* in deserto tantum per 38 annos et fere undecim menses a sacrificiis Domino offerendis abstinerunt; non autem per integros 40 annos, prout tamen apud prophetam *Amos* cit. loc. dicitur: ergo veritas huius loci non salvatur. R. conc. ant. neg. cons. Nam, ut *Tirinus*, *Cornelius a Lap.* aliique interpretes comment. in hunc locum recte observant, mos est tam nobis, quam ipsi etiam s. *Scripturae* usitatus, quo numerum integrum ac rotundum solet ponere, levem excessum vel defectum fere negligendo. Sic *Iud.* 9, v. 5, dicitur *Abimelech* occidisse septuaginta fratres, filios *Gedeonis* cum fuerint tantum sexaginta novem; nam unus, puta *Ioathan*, fuga elapsus evasit. Sic passim dicimus LXX interpretes, item LXX discipulos *Christi*, cum fuerint septuaginta duo. Similiter ergo apud prophetam *Amos* loc. cit. vocantur 40 anni, cum fuerint tantum 38 et fere undecim menses. Ita *Tirinus*, *Cornelius a Lap.* aliique in cit. locum dicti prophetae.

153. COROLLARIUM. Errant *Tindallius*, et *Vollairius*, quibus in cit. loco prophetae *Amos* non vi-

(2) Vide *Tirinum* comment. in *Amos* c. 5, v. 25. Item in eiusdem interpretis *Chronico* cap. 19 et 20.

(3) Vide supra num. 5, 57, 84, 145, 144.

detur alius subesse sensus, quam israelitas toto 40 annorum tempore in deserto, Deo nunquam sacrificasse. Contrarium constat ex dictis. Scripsit etiam de cit. loc. prophetae Amos auctor *epistolarum iudaicarum ad d. de Voltaire* a pagina 206, affirmans se omnia, quae hac de re fuse exequitur, a *Lelando* aliisque anglis hausisse, qui impium *Tindallium* confutassent.

154. QUARES II. *Quomodo Amos* (cap. 7, v. 14), cum veritate dicere potuerit: NON SUM PROPHETA; cum mox v. 15 addat: DOMINUS DIXIT AD ME: VADE, PROPHETA AD POPULUM. An non esse prophetam, et tamen prophetare, nullam involvit contradictionem? R. Septuaginta interpretes habent: Οὐκ ἤμην προφήτης ἐγὼ, οὐδὲ υἱὸς προφήτου, ἀλλ' ἢ αἰπόλος ἤμην καὶ κνίζων συκάμιν. Non eram propheta, neque filius prophetae, sed caprarius eram vellicans sycomoros. Ceterum allati in praesenti quaestione textus est: Non sum propheta, scilicet ex prima mea institutione et professione, q. d.: Ordinarium officium meum non est prophetare, sed pascere armenta: Dominus tamen ab his me avocavit, ut prophetam populo Israel, quo peracto rursus rediturus sum ad mea armenta. Ita *Cornelius a Lap.*, *Tirinus*, *Menochius*, et alii.

155. QUARES III. *Quid de expositione Amos cap. 8, v. 11, ubi dicitur: IN DIE ILLA SUSCITABO TABERNACULUM DAVID, QUOD CECIDIT, ET REAEDIFICABO APERTURAS MURORUM EIUS, ET EA QUAE CORRUERANT INSTAURABO: ET REAEDIFICABO ILLUD SICUT IN DIEBUS ANTIQUIS. Quid, inquam, de expositione horum verborum, quam famosus auctor libri Horus dicti pag. 308 et 309 adfert, sentiendum sit?* R. Haec expositio, seu potius reflexiones ab impio isto auctore in citata verba prophetae

Amos factae sunt fabulosae, impiae, falsae, et gratis confictae, quae ex germanico idiomate in latinum translatae, ita sonant: « Etiam hoc effatum (prophetae Amos) apostoli de erectione regni magistri sui interpretabantur, quamvis illud Amos more aliorum vatum (vult, ut reor, dicere, aliorum prophetarum V. T.) mutuaverit ab ethnicis astrologis, qui domum David minime curabant, sed potius restaurationem domorum coelestium . . . quae a profanis planetarum diis destructae fuerant. E contrario Amos existimabat, coelestes seu regias domos esse tabernaculum David, et inde protulit supra citatum vaticinium, quod tamen nunquam impletum est, quia ipsius (i. e. prophetae Amos) natio (nempe iudaei) a tempore captivitatis babilonicae ferme semper sub iugo incircumcisorum oppressi detinebantur. » Verum quis non videt, auctorem libri *Horus* dicti, hic more suo asseverare id, quod nec verbulo probat, scilicet prophetam Amos suam prophetiam cap. 9, v. 11, ab ethnicis astrologis mutuam sumpsisse? Praeterea falso supponit, quod citatum vaticinium prophetae Amos intelligendum sit in sensu carnali iudaeorum de restauratione regni terreni domus David, cum tamen ipse s. *Jacobus* (1) illud explicet de regno spirituali Christi seu ecclesiae christianae, in concilio hierosolymitano dicens: « Viri fratres, audite me. Simon narravit (nempe s. Petrus), quemadmodum primum Deus visitavit sumere ex gentibus populum nomini suo. Et huic concordant verba prophetarum, sicut scriptum est (nimirum Amos 9, v. 11 et 12): Post haec revertar, et reaedicabo tabernaculum David, quod decidit; et di-

(1) Actor. c. 13, v. 13-18.

ruta eius reaedicabo, et erigam illud: ut requirant caeteri hominum Dominum, et omnes gentes, super quas invocatum est nomen meum, dicit Dominus faciens haec. » Porro notissimum est, *Jacobum* his verbis *Petri* sententiam confirmare voluisse, nempe gentiles ad evangelium fuisse vocandos, ut in unum ecclesiae corpus cum electis iudaeis coalescerent. Sententia enim *Petri* in concilio hierosolymitano (1) haec fuit: « Viri fratres, vos scitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum audire gentes verbum evangelii et credere. Et qui novit corda Deus testimonium perhibuit, dans illis Spiritum sanctum sicut et nobis, et nihil discrevit inter nos et illos, fide purificans corda eorum. » Ad quod effatum *Petri* apostolus *Jacobus* cit. loc. provocat, dum allegatam prophetiam Amos de spirituali regno Christi, i. e. de ecclesia Christi ex iudaeis et gentibus congreganda interpretatur. Rectissime ergo hic scripsit *Hieronymus* (2): « Ubi apostolorum praecessit auctoritas, maxime *Petri* et *Iacobi*, quos columnas ecclesiae vas electionis vocat (3); ibi omnis variae explanationis tollenda suspicio est, et quod a tantis viris exponitur, hoc sequendum. » Certe nemo non sanae mentis videt, expositionem citatae prophetiae Amos, quam s. *Jacobus* cit. loc. facit, esse sapientiore et magis fundatam quam vanam illam, deliram et impiam suspicionem, nullis argumentis probatam, quod Amos ex ethnicorum astrologorum fabulis suam illam prophetiam consarcinaverit.

(1) Ibid. v. 7-10.

(2) Comment. in Amos c. 9, v. 11.

(3) Ad Galatas c. 2, v. 9.

(4) Vide *Riberam*, *Cornelium a Lap.*, *Xav. Widenhofer*, aliosve interpretes com-

Ceterum si memoratum vaticinium prophetae Amos non in sensu carnali seu iudaico de restauratione terreni regni, sed in sensu sublimiore de spirituali Christi regno intelligatur, prout intelligendum esse, et s. *Jacobus* apostolus loc. cit. et interpretes (4) docent; tunc *Horo* probandum restat quod idem vaticinium non sit impletum. Certe regnum Christi, seu ecclesia defacto existit, et aeternum triumphans in coelo existet.

CAPUT IV.

De Abdia.

ABDIAS hebr. עבדיה h. e. servus Dei, ex Idumaea oriundus erat, inquitur rabbi *Salomon*, et rabbi *David*, incertum quo tempore. Sed alii omnes tradunt fuisse iudaeum, et quidem sichimitam (5). Argumentum prophetae ipsius est: 1. Praedicat idumaeis affligentibus Iudam excidium; 2. Salutem in Sion. Habet caput unicum. Quamvis autem brevissimus sit omnium prophetarum numero verborum, gratia tamen mysteriorum cuius aequalis est: unde s. *Hieronymus* (6) de eo ait: *Propheta parvus supputatione versuum, non sensuum.* Porro vitae sanctitate claruit, et sanctorum catalogo in martyrologio romano adscriptus est 19 novembris.

136. QUARES: *Quid Abdias* (vers. 20) *his verbis: ET TRANSMIGRATIO IERUSALEM, QUAE IN BOSPHORO EST, POSSIDEBIT CIVITATES AUSTRI, significare voluerit? Qualis sit ille Bosphorus? ubi illae civitates Austri?* R. et dico, sensum esse hunc: iudaei, qui in captivitate babilonica

ment. in Amos c. 9, v. 11 et 12.

(5) Plura de hoc propheta vide apud *Tirinum*, aliosque interpretes, praefat. in commentarium eiusdem prophetae.

(6) Comment. in Abdias c. 1, v. 1.

in Bosphorum translati sunt, inde cum ceteris iudaeis Babylone redeuntibus revertentur, et possidebunt civitates Austri, puta Iudaeae captivae patriae suae, quae respectu Babylonis est australis. Porro Bosphorus, in quem a Nabuchodonosore captivi iudaei translati sunt, vel fuit Bosphorus thracicus, ut s. Hieronymus, Sa et Mariana volunt: vel, ut quidam alii censent, Bosphorus cimmerius in introitu maeotidis paludis, ubi finis seu terminus erat imperii chaldaici, et horrida atque aspera regio, et secundum Homerum poetas sedes inferni. Plurimi enim eo relegabantur (quidni et iudaei?) ad metalla et marmora effodienda. Sive denique Bosphorus hispanicus, sive Gades ad fretum herculeum, ut vult Chaldaeus, syrus et uterque arabicus, et plurimi rabbini; item Lyranus, Pagninus, Arias, Vatablus, Cornelius a Lap. pluresque alii: favetque Iosephus (1) asserens Nabuchodonosorem post excisam Hierosolimam subiugasse Hispaniam: unde non vana coniectura est, plures iudaeorum eo translatos fuisse. Certe rabbini, ubicunque sint, Hispaniam vocant ספיר Sepharad, quae vox hebraea loc. cit. Abdiae loco Bosphorus (2) posita est.

CAPUT V.

De Iona.

IONAS, hebr. יונה columba, ex Geth oriundus, non illa philistinorum, sed alia, quae est in Opher, ut ait Scriptura (3), et pertinet ad

- (1) L. 11 antiq. iudaic. c. 11.
- (2) Vide Cornelium a Lap. comment. in hunc locum Abdiae.
- (3) IV. Reg. c. 14, v. 25.
- (4) Iosue c. 19, v. 15.
- (5) Matth. c. 12, v. 59 et 40.
- (6) Iona c. 1, v. 9.
- (7) Ion. c. 4, v. 2, ubi afflicti Iona,

tribum Zabulon (4). Synchronus erat Oseae, Ioeli, Amos et Abdiae. Eodem etiam tempore, paullo ante initia urbis Romae, vixit Sardana-palus, assyriorum rex ultimus in Ninive, totus effoeminatus; ad cuius metropolim Iona missus, incolae ad poenitentiam ita convertit, ut Deus poenam distulerit; quam tamen ingravescentibus iterum vitiis, tandem infligit, ut etiam Tobias cap. 14, v. 6 praedixit: Prope est interitus Ninive; non enim excidit verbum Domini. Fuit quoque Iona typus Christi sepulti ac resurgentis, ut Christus ipse (5) ait. Colitur ut sanctus in martyrologio romano 21 septembris.

157. QUÆRES I. Quomodo explicetur illud (Iona c. 1, v. 3): ET SUR-REXIT IONAS, UT FUGERET IN THARSIS A FACIE DOMINI; cum tamen Iona utpote propheta sciverit, Deum ubique esse, adeoque neminem a facie Domini fugere posse? R. Propheta Iona utique non potuit fugere ab omnipraesentia Dei, et probe sciebat Deum, qui fecit mare et aridam (6), ubique esse: attamen fugit a ministerio et imperio Dei. Renuit nempe ire in Ninivem, timens, ne Deus infinite clemens ad ninivitarum poenitentiam reconciliatus, poenam intentatam remitteret, ut ait ipsemet (7), sicque quasi falsus propheta irrideretur. Fugit ergo Iona a facie Domini in dissitas regiones, non quasi putaret, se ibi Deum latere posse; erat enim propheta. Sciebat ergo Deum esse ubique, et omniscium: sed quod speraret, Deum se ita profugum et

quia vaticinium suum adversus Niniven videbat non impleri, ita ad Deum oravit: Obsecro, Domine, numquid non hoc est verbum meum, cum adhuc essem in terra mea? propter hoc praecoccupavi, ut fugerem in Tharsis. Scio enim, quia tu Deus clemens et misericors es, patiens et multae miserationis, et ignoscens super malitia.

renitentem, ex remotissimis illis regionibus non revocaturum, nec remissurum in Niniven (1).

158. QUÆRES II. Qualis fuerit ille PISCIS tam GRANDIS, UT IONAM (Ion. 2, v. 1 et 11) DEGLUTIRET, ac postea EVOMERET IN ARIDAM? An fuerit balaena (ein Wallfisch), vel aliud monstrum marinum? 2. An verisimile sit, quod piscis tam grandis littori adeo appropinquaverit, ut hominem in aridam evomere potuerit? R. AD PRIMUM: Licet permulti putent, piscem hunc, qui glutivit Ionam, fuisse balaenam, negant tamen id Rondeletius (2), Aldrovandus (3), Pineda (4) et alii complures, praesertim recentiores, ea maxime de causa, quod balaena arctiori sit gutture, nec facile hominem integrum deglutire possit. Verum id intelligendum est de parvis et communibus balaenis. « Nam maiores, ait Cornelius a Lap. (5), sunt instar montium, quae facile homines et hoves integros deglutiunt. » Et tales, tam procerae balaenae, licet rariores, dantur etiam in mari Mediterraneo, in quo Iona navigavit. Certe s. Augustinus (6) agens de ore ceti Ionam deglutientis, et hanc historiam contra Porphyrium, qui eam ut fabulosam irrisit, defendens testatur, Carthagine (quae urbs mari Mediterraneo adiacebat) ingentis eiusmodi balaenae skeleton aspectu terribile suo tempore publice spectatum fuisse. Verba s. Doctoris loc. cit. sunt: « Ut enim omittam commemorare, quanta magnitudo belluarum ab eis, qui experti sunt, indicetur, venter,

quem costae illae muniebant, quae Carthagine in publico fixae populo notae sunt, quot homines in spatio suo capere posset, quis non coniciat, quanto hiato patebat os illud, quod velut ianua speluncae illius fuit? » Praeterea teste lexico universali lipsiensi (7) Georg. Fournier in sua Hydrographia narrat, quod duo homines in ventre illius balaenae inventi fuerint, quae in mari Mediterraneo in littus hispanicum Valentiae eiecta est. Quare nulla est necessitas negandi, piscem, qui Ionam deglutivit, fuisse balaenam; prout etiam memoratum lexicon univers. Lips. (8) aperte fatetur.

Nolim tamen ideo reiicere sententiam Rondeletii, Aldrovandi, aliorumque supra citatorum, quibus etiam cl. Bullet (9) accedit, contententium, belluam marinam, quae Ionam deglutiit, non fuisse balaenam, sed carchariam seu lamiam, i. e., canem marinum, germanice Hay-Fisch, See-Hund, See-Wolff; latine piscis canis, canis marinus, lupus marinus, de quo lexicon univers. Lips. loc. cit. multa narrat. « Censent ergo ipsi, ait Cornelius a Lap. (10) de modo citatis auctoribus loquens, piscem hunc (qui Ionam deglutivit) fuisse illum, qui carcharias, atque ab italibus et Nicandro aliisque vocatur lamia, qui ingens est, voracissimus et anthropophagus, rictumque oris et guttur habet immane, prout ea depingit, et in imagine spectanda exhibet Aldrovandus (11). Carcharias enim, sive canis, est galeonum omnium maximus, magnitudine thynnus i-

Wolf, See-Hund. Latine: Piscis canis, canis marinus, lupus marinus.

(8) Loc. cit.

(9) Réponses critiques tom. 2, n. 57, Iona.

(10) Comment. in Ion. c. 2, v. 1.

(11) L. 5 de piscibus c. 52, pag. 581

(1) Vide Cornel. a Lap. comment. in Iona c. 1, v. 3.

(2) L. 15 de piscibus, c. 12.

(3) Ibid. c. 52.

(4) L. 4 de rebus Salom. c. 12.

(5) Comment. in Ion. c. 2, v. 1.

(6) Epist. 49, q. 6.

(7) Tom. 12, p. 596, art. Hay, See-

psos vincens, et in tantum aliquando excrescens, ait *Rondeletius*, ut curru imponitur, vix a duobus equis vehi possit..... Addit *Rondeletius*, vidisse se mediocrem, qui mille libras ponderabat: Nicenses vero sibi testatos esse, refert *Gillius*, sese istiusmodi piscem ad quatuor millia librarum accedentem cepisse, et in eiusdem ventre solidum hominem reperisse; et simile quid massilienses sibi narraſſe: comprehendisse, inquam, se canem, in quo loriatum hominem invenissent. Vidit insuper *Rondeletius* in santonico littore alium, cuius os et gula tanta erat vastitate, ut hominem etiam obesum commode capere potuisset: imo vero si os canis marini ita hians conservetur... canes terrestres illud ingredi, et ventriculum subire, ut piscium reliquias devorent. Hac de causa *carcharias* a nonnullis vocatur *lamia* παρὰ τοῦ λαίμου id est, a gula et gutture, eo quod magnum et quasi immane guttur habeat, sitque voracissimus: »

Porro, si his auctoribus, eorumque sequacibus obiciamus, piscem qui *Ionam* deglutivit, vocari *cetum* (1), hoc autem vocabulum convenire balaenae, non vero *carchariae* seu cani marino; respondent, a s. Scriptura non exprimi, qualis fuerit piscis ille grandis. Nam hebraicum דג גדול *dag gadol*, graecum κητος *ketos*, et latinum *cetus* generaliter significant quemvis grandem piscem. Unde *ceti* nomen commune est ad balaenas, physeteres, orcas, pristas, lamias, thynnos, omnesque pisces praegrandes, maxime si ad deglutandos homines capacitatem habeant. Hinc non mi-

(1) Matth. c. 12, v. 40.

(2) Loc. cit.

(3) Genes. c. 2, v. 19.

(4) Genes. c. 7, v. 9.

(5) Vide cl. *Bullet* loc. cit.

rum, quod *carcharias* a *Galeno*, *Aeliano*, et *Oppiano* aliisque inter cetera recenseatur.

159. Ad 2. facilis est responsio, si piscis, qui *Ionam* deglutivit, fuit *carcharias* seu canis marinus. Is enim, ut cl. *Bullet* (2) observat, potest haud difficulter ad littus maris pervenire. Ceterum etiam balaena, quamvis ut plurimum in maiore maris profunditate moretur, tamen iussu divino facile adigi potuit, ut in aridam prophetam evomeret; ferme sicut (3) Deus animantia adduxit ad Adam, ut videret quid vocaret ea: aut sicut (4) ea ingressa sunt arcam Noë vel insito illis occulto motu, ut sponte accederent vel adducta angelorum ministerio. Unde infirma et futilis est illa incredulorum obiectio, dum aiunt (5), balaenam non potuisse *Ionam* evomere in aridam; cum tam grandis piscis non potuerit littori ita appropinquare, ut hominem in aridam evomeret. Ceterum etiamsi ad hoc opus fuisset miraculo, id veritati historiae non obesset (6).

160. SCHOLION I. Iuvat hic annectere quoddam factum lectu non iniucundum, quod cum historia *Ionae* a monstro marino devorati, et iterum in aridam incolumis eiecti aliquam analogiam habet. Narratur illud ab auctore anonymo (viro in naturalium rerum historia perquam erudito, et medicinae doctore) in libro recens edito, cui titulus: *Versuch einiger Unterhaltungs-Stunden etc. (specimen nonnullarum horarum oblectamenti)*, ed. Augustan. 1792. Narratio autem ex *dom. Mullero* desumpta, refertur in memorato libro (7) his verbis, quae ex

(6) Vide *Tirinum* comment. in Ion. c. 2, v. 1.

(7) Pag. 506 et 507. Ubi de piscibus canibus (quos inter *carcharias*, et canis marinus) agitur.

germanico in latinum translata, sic habent: « D. Muller narrat de eo (i. e. de *carcharia* seu cane marino) sequentem memorabilem historiam: Nauticus quidam (*un marinaio*) anno 1758 procellosa tempestate ex navi in mare Mediterraneum (in quo etiam *Ionas* navigavit) misere decidit. Illico hic piscis (nempe canis marinus) aderat, et virum alta voce opem inelamantem, vasto oris sui hiatu exceperat, ac aliorum ad spectui subduxerat. Sed quidam sociorum sine mora in navigiolum desiliebant, misero opem laturi, et navarchus ipse, qui hunc casum propriis oculis viderat, mox tormentum bellicum adversus monstrum illud marinum explodi iussit, quod globo tormentario tam feliciter percussum est, ut nauticum illum immani hiatu oris sui devoratum evomeret adhuc viventem et modice laesum, quem approperans navigium excepit: bellua vero illa marina laqueis irretita captaque est. Porro eiusdem monstri longitudo decem cubitorum, latitudo quatuor cubitorum, pondus trium millium, ducentarum et viginti quatuor librarum erat..... Igitur haud mirum, quod huius generis anthropophagus piscis olim etiam prophetam *Ionam* deglutierit. » Ita memoratus auctor anonymus ex *dom. Mullero*, hoc factum in sua versione systematis naturae a *Linnaeo* conscripti narrat part. 3, pag. 268

(1) Batavis piscis canis ob feritatem *Hay*, vel *Hay-Fisch* audit (Itali dicebant *l'ahi*, vel *il pesce ahi*): eadem significatione Normanni *requiem*, et male pronunciantes *requin* dixerunt (Galli nunc ita vocant), denotaturi actum esse de eo, quem ille cetus aggrediatur.

(2) Commentar. in Ion. c. 2, ubi *Theophylactus* ait: « Devoratur ergo a ceto *Ionas*, tresque dies ac totidem noctes in eo permanet vates: quae res omnem excedere fidem audientibus videtur, maxime iis, qui ex graecorum scholis - ad

et 269. Ceterum hollandi memoratum piscem seu *Hay-Fisch* appellant *Ionas-Hay*; latine *Ionae piscis canis* (1). Plura de hoc referuntur etiam in historia naturali *Raffii* pag. 269 et 270.

161. SCHOLION II. Veritas tam grandis miraculi *Ionae* a pisce devorati et post triduum incolumis in aridam eiecti statim per totum Orientem divulgata est, videnturque gentiles inde sumpsisse fabulam sui *Herculis*. Teste enim *Theophylacto* (2) finxerunt, quod *Hercules* a balaena sit devoratus, et ex ea incolumis redierit, nisi quod depilatus fuerit ob internum belluae calorem. Et *Lycophron* (3) tradit, *Herculem*, cum rediret ex Colchide cum Argonautis, invento vellere aureo, tempestatem passum, et in mare lapsum a pisce devoratum fuisse, ac post triduum salvum ex eo in mare proiectum. Audiamus *Salmeronem* (4) hac de re ita scribentem: « *Ionas* teste Iosepho (l. 9. Antiq. iudaic. cap. 11) a ceto eiectus fuit in aridam in ponto Euxino (qui cum mari Mediterraneo communicat), terra longe dissita ab Ioppe, ubi navem conscenderat, ut inde commode posset pedestri itinere pervenire in Ninive metropolim Assyriae..... Quod vero *Lycophron* tragoedus in *Herculis* tragoedia tradit, *Herculem* cum rediret ex Colchide cum Argonautis, invento vellere aureo tempestatem passum, et in ma-

hanc historiam accedunt. Quos equidem non satis demirari possum, qui fiat, ut haec non intelligant, cum suis ipsorum alis capiantur. Apud ipsos enim non nihil tale de *Hercule* narratur, nempe quod et ipse a balaena devoratus, incolumis remanserit, nisi quod tantummodo depilatus redierit, idque ob ingenitam, et internam belluae caliditatem. Aut igitur nostra suscipiant, aut sua reiiciant. »

(3) In tragoedia *Herculis*.

(4) Tom. 8, tract. 17, pag. 153, edit. Colon. an. 1602.

re proiectum; abitor eum illud ex traditione Ionae in ponto Euxino vomito a pisce accepisse, et in Herculis personam transtulisse: cum navigatio Argonautarum in ponto Euxino fuerit. » Ita celeberrimus ille s. Scripturae interpres *Salmeron*.

162. QUÆRES III. *An verisimile sit, quod ceti venter calidissimus Ionam, ut alios cibos, non consumpserit? 2. Quod respirationem et aëris frigidi attractionem huic prophetae permiserit? 3. Quod nidore ac foetore suo olidissimo eundem non exanimarit? 4. Quod non vitae tantum, sed et mentis compotem reliquerit, ita ut is in hoc angustissimo et incommodissimo carcere spiritu Dei afflatus, insigne et pium carmen (Ion. 2, v. 2-11) Deo cecinerit?* R. Fatemur cum *Cornelio a Lap.* (1), *Tirino* (2), aliisque, omnesque fateri debent, hic multa intercurrisse prodigiosa, ac communes naturae leges superantia. Eadem nempe potentia, quae tres pueros in fornace babilonica et omnes infantes in materno utero tot mensibus sine esu, sine frigida respiratione illaesos fovet, etiam prophetam *Ionam* in ventre ceti sanum integrumque servavit, inquit s. *Hieronymus* (3) et *Theophylactus* (4). Malim ego sane cum ecclesiae patribus et orthodoxis interpretibus, sincere fateri, hic miracula intercessisse, quam novatorum nostrorum aliquem imitari, quem audio, eo ineptiae prolasum, ut *Ionam* per triduum non in ventre ceti, sed in hospitio divertisse dixerit, quod insigne ceti (*beim Wallfisch*) praetulerit, sicut alia nostra hospitia seu cauponae insigne *aquilae, agni, leonis etc.*

(1) Comment. in Ion. c. 2, v. 1.

(2) Ibid.

(3) Comment. in cap. 2 Ionae.

(4) Ibid.

(5) Haec dicteria et obiectiones incre-

(*beym Adler, Lamm, Löwe etc.*) praesefere solent. En! ad quae fabularum portenta confugiant, qui, ne cogantur admittere miraculum, omnia, quae in sacris Scripturis prodigiosa occurrunt, naturali ratione explicari nituntur!

163. SCHOLION. Nulla est narratio apud prophetas, quae magis rideatur a novis philosophis, quam historia *Ionae* a pisce devorati. Tot enim dicitur (5) hic utuntur, tot absurda in illius lectione se deprehendisse arbitrantur, ut plane conclamatum putent de libris divinis, totamque historiam pro fabula venditent. Imitantur in hoc patriarchas suos, gentiles philosophos, aliosque veteres incredulos, qui pariter factum illud *Ionae* tanquam fabulam explodebant. *Hoc genus quaestionis* (ait s. *Augustinus* epist. 102 in quaestione 6, quae est de *Iona*, num. 30) *multo cachinno a paganis graviter irrisum animadverti*. Hinc etiam *Theophylactus*, cuius verba supra (6) retulimus, et s. *Hieronymus*, cuius verba mox referemus, eiusmodi incredulos iam suo tempore vehementer redarguebant. « Nec ignoro, inquit modo laudatus s. pater (7), quosdam fore, quibus incredibile videatur tribus diebus ac noctibus, in utero ceti, in quo naufragia digerebantur, hominem potuisse servari. Qui utique, aut fideles erunt, aut infideles: si fideles, multo credere maiora cogentur. Quomodo (Dan. cap. 3) tres pueri missi in caminum aestuantis incendii, in tantum illaesi fuerint, ut ne vestimenta quidem eorum odor ignis attigerit. Quomodo (Exod. cap. 14) recesserit mare, et

dulorum egregie ac fuse refellit cl. *Weissenbach* in nova forma theologiae bibl. tom. 2, l. 4, q. 1, pag. 271-278.

(6) Num. 161, scholion II in nota (2).

(7) Comment. in c. 2 Ionae.

ad instar murorum hinc inde rigidum steterit, ut praeberet viam populo transeunti. Quomodo (Dan. cap. 6) humana ratione, aucta fame leonum rabies praedam suam timens aspexerit, nec tetigerit; et multa huiusmodi. Sin autem infideles erunt, legant quindecim libros *Nasonis* metamorphoseos, et omnem graecam, latinam historiam; ibique cernent, vel *Daphnem* in laurum, vel *Phaetontis* sorores in populos arbores fuisse conversas, quomodo *Iupiter* eorum sublimissimus *Deus*, sit mutatus in cygnum... et caetera, et in quibus ipsa turpitudine fabularum divinitatis denegat sanctitatem: illis credunt, et dicunt *Deo* cuncta possibilia. Et cum turpibus credant, potentiaque *Dei* universa defendant; eandem virtutem non tribuunt honestis. » Ita s. *Hieronymus*.

164. QUÆRES IV. *Cur ad evitandas memoratas difficultates non dicatur, Ionam in ventre ceti mortuum, et post triduum denuo ad vitam resuscitatum esse?* R. Equidem sic quidam autumarunt; sed male. Haec enim explicatio vim infert Scripturae, quae plane innuit, *Ionam* prodigio in ventre ceti servatum.

Sed INSTAS, ac dicis: Si *Ionas* in ventre ceti non esset mortuus, qui potuit exhibere figuram mortis lesu Christi? R. Non mors *Servatoris* cum obitu *Ionae* comparatur, sed simile spatium temporis, quo *Christus* sub terra, *Ionas* sub aquis in ventre ceti est detentus, iuxta illud *Matth. 12, 40: Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terrae tribus diebus et tribus noctibus.*

165. QUÆRES V. *An verisimile sit, quod gentilis rex ninivitarum, e' moribus corruptissimus ad ad-*

ventum *IONAE* (Ion. cap. 3) *rominis exteri, peregrini, et alienae religionis, statim se cum toto populo ad poenitentiam converterit? Et profecto, si nostris temporibus, vir caeteroqui pietate, doctrina, aliisque praerogativis praeditus, summo fervore ac incenso zelo praedicaret poenitentiam, ac alicui civitati, nisi respiceret, interitum brevi et determinato tempore eventurum praediceret, num fidem inveniret, aut potius silere iuberetur?* R. Non est comparatio instituenda inter nostra, et illa antiqua tempora, in quibus homines audiendis oraculis assueti erant, sibi persuasum habebant, quod *Deus* vel *Dii* non raro alicui homini sua decreta de rebus futuris manifestet: in quibus etiam servis *Dei*, nimirum prophetis, aut apud ethnicos vatibus longo usu et traditione ius concedebatur, ipsis adeo principibus et regibus molestissimas veritates nomine *Dei* aut *Deorum* annuntiandi, cum in istiusmodi fatidicorum persona mortales magis *Deum* vel *Deos*, quam hominem loquentem suspicerent. Praeterea, tametsi rex et populus *niniviticus* perditissimis esset moribus, totusque luxu difflueret, motus tamen est ad credendum *Ionae* per miraculum liberationis huius prophetae a ventre ceti, quod idem propheta eis narravit, quodque per nautas, aut alios iam sparsum erat per totum orientem; ut ex supra (1) dictis facile colligi potest. Accessit (id, quod caput rei est) interna *Dei* illustratio et inspiratio quae animos *ninivitarum* movit ad credendum *Ionae*, et poenitendum. Persuasit id ipsis etiam gravitas, prudentia; pietas, abstinentia et sanctitas *Ionae*, quae plane ostendebant eum non esse fatuum, non levem, non men-

(1) Num. 161, scholion II.

dacem, sed virum serium, prudentem, pium ac fide dignum. Quibus omnibus perpensis, nemo sapiens inficari poterit, omnino verisimile esse, quod rex ninivitarum cum suo populo *Ionae* ad poenitentiam adhortanti fidem adhibuerit, ac obtemperaverit.

166. QUARES VI. *Quomodo veritas illius prophetiae* (Ion, 3, v. 4): ADHUC QUADRAGINTA DIES, ET NINIVE SUBVERTETUR, salva consistere valeat, cum tamen Deus eidem civitati (ibidem v. 10) pepercerit? R. Illam *Ionae* prophetiam de eversione urbis *Ninive* fuisse conditionatam, nimirum, ni ninivite poenitentiam egerint: quae conditio cum non impleta fuerit, sed ninivite celerem poenitentiam egerint, mirum non est quod Deus ipsis et eorum civitati pepercerit; prout iam alibi (1) explicavimus. Unde sensus illius comminatoriae prophetiae a Deo per os *Ionae* ad ninivitas prolatae erat: Adhuc quadraginta dies expectabo vos, num sitis poenitentiam acturi, et ni intra hoc temporis spatium resipueritis, urbs vestra subvertetur.

167. QUARES VII. *Quomodo conservatio urbis Ninive ob ninivitarum poenitentiam a Deo indulta, concordet cum prophetia Tobiae morientis, qui filiis suis mandabat, ut ex Ninive fugerent, addens hanc rationem* (Tob. 14, v. 13): VIDEO ENIM QUIA INQUITAS EIUS FINEM DABIT EI, seu ut LXX interpretes habent: ET NUNC, FILII, ABI A NINIVE: QUONIAM OMNINO ERUNT, QUAE LOCUTUS EST PROPHETA IONAS, vel ut s. Hieronymus (in prooemio commentar. in Ionam) exponit: SCIO ENIM QUAE LOCUTUS EST IONAS PROPHETA DE NINIVE, QUONIAM SUBVERTETUR. An inquires, conserva-

(1) Vide supra sect. 4, q. 18, n. 42.

(2) Cap. 3, v. 4 et seqq.

(3) Cap. 2, v. 15.

(4) Vide *Usserium* ad ann. m. 5578.

tio et subversio eiusdem urbis simul stare possunt? R. et dico, sententiam Dei de ninivitarum excidio a *Iona* praenuntiata, ninivitis poenitentiam agentibus, non fuisse poenitentiam abolitam, sed suspensam duntaxat: ipsi enim ad scelera sua redeuntibus, divina iustitia laxavit manum suam, et exitium a *Iona* ninivitis intentatum, et a *Tobia* praedictum, eisdem infligit.

Ut autem hoc magis intelligatur, sciendum est, quod *Ionas* a Deo *Ninivem* missus fuerit regnante *Sardanapalo* vel regnante *Phul* patre *Sardanapali*. Regis autem civiumque poenitentia feralem divinae ultionis in urbem *Niniven* sententiam distulit. Verum cum haec urbs iterum in pristina prouisset flagitia, Deo ordinante factum est, ut ab *Arbace* medorum praefecto, atque a *Beleso* babylonio anno *Sardanapali* vigesimo, ab orbe condito 3256 caperetur, qui in regis suis aedibus semet cum opibus, pellicibus et eunuchis suis concremavit, videns se iamiam in *Arbace* et *Belsi*, a quibus obsidebatur, manus esse lapsurum. At urbi *Ninive* maior adhuc imminet calamitas, quam praeter *Tobiam* etiam prophetae *Nahum* (2), et *Sophonias* (3) praenuntiarunt, quaeque tandem decimo tertio *Iosiae* regis Iuda anno, ab orbe condito 3278 detonuit, cum *Nabopalassar* et *Astyages* (qui iuxta *Calmetum* in textu graeco *Tob. cap. ult. vers. ult. Nabuchodonosor* et *Assuerus* dicuntur), ceperunt *Niniven*, cum ibi *Chinadad* rex Assyriae (4) imperitaret. Ea vero ita eversa fuit, ut *Luciani* aevo nullum eiusdem reliquum esset vestigium (5). Vide de hac quaestione *Calmetum* (6), et eiusdem

(5) *Lucian.* in *Charon.*

(6) *Commentar.* in *Tob. c. 14, v. 6;* et in *Ionam, c. 3, v. 6 et 10.*

auctoris dictionarium bibl. vocabulo *Ninive* et *Sardanapalus*.

CAPUT VI.

De Michaea.

MICHAEAS, hebraice מִיכָה *Mica* pro *Micaiah*, id est, *Quis sic ut Deus?* e *Morasthi* viculo tribus *Iuda* (1) iuxta *Eleutheropolim* oriundus, aetate suppar praecedentibus prophetis, ac nominatim *Isaiae*, quem subinde (2) ad verbum citat, invehitur in idololatriam, et in alia inde enata scelera, tam *duarum*, quam *decem* tribuum: unde utrisque excidium et captivitatem praenuntiat. Tandem tamen laetum reditum e *Babylonia* per *Cyrum* promittit et laetiores ex servitute peccati, mortis et diaboli per Christum, quem in *Bethlehem* nasciturum praedicit. Ut martyr occubuisse dicitur: sanctorum catalogo adscribitur in martyrologio 15 ianuarii et corpus eius divina revelatione (3) sub *Theodosio* seniore, una cum corpore s. *Habacuc* prophetae repertum fuit haud procul *Eleutheropoli* ubi sepultum fuerat. Ita fere *Remigius*, *Aymo*, *Rupertus*, *Hugo*, *Adricomius* et alii. Ex quibus patet, *Michaeam* hunc esse alium ab illo *Michaea* filio *Iemlae*, qui (4) *Achabo* stragem et necem praedixit. Iste enim non ex *Iuda*, sed ex *Ephraim* ortus fuit, et centum quinquaginta annis (5) ante alterum *Michaeam*, de quo hic agimus, prophetavit.

168. QUARES I. An *Michaeas* (cap. 2, v. 11) dicens: UTINAM NON ESSEM VIR HABENS SPIRITUM, ET MENDACIUM POTIUS LOQUERER, dignum propheta dictum protulerit? R. Af-

(1) *Michaeae c. 4, v. 9.*

(2) *V. Michaeae c. 4, v. 5; et Isa. c. 26, v. 21; item Mich. c. 4, v. 1; et Isa. c. 2, v. 2.*

(3) Vide *Sozom. lib. 7, c. ult. Cassio-*

firmative. Sensus enim horum verborum est: Utinam non cogerer a deo infausta portendere populo meo! utinam, quae praenuntio, non sint ex spiritu prophetico, qui fallere non potest, sed a vano timore vel melancholia, uti vos opinamini, mihi suggesta; sed heu nimis vera sunt haec mea oracula. » Non igitur optat *Michaeas* formaliter seu scienter mentiri (hoc enim optare est peccatum), sed materialiter tantum, hoc est, optat, ut id, quod serio et sincere praedicit, falsum sit, et reapse non eveniat, sive ut *Ribera* ait: « Non optat... propheta mentiri, id est, consulto fallere auditores... sed vulgi more mendacium vocat quidquid aliter evenit, quam praedictum est, etiamsi non sit dictum animo fallendi: quomodo nos, cum tamen ita fore putemus, ut divinae, solemus dicere: utinam ego mentiar, quia nollemus id evenire, quod eventurum putamus. » Ita quoque hanc rem explicant *Calmet*, *Cornelius a Lap.*, alique interpretes in hunc locum.

169. QUARES II. *Quomodo Michaeas* (idem est de vaticiniis aliorum prophetarum, *Isa. c. 11, v. 13; c. 27, v. 12, 13; Ierem. c. 3, v. 18; c. 31, v. 7; c. 50, v. 4, 19, 20; Amos c. 9, v. 14; Abd. v. 18, 20; Zachar. c. 9, v. 13; c. 20, v. 6, 10) quomodo, inquires, Michaeas (cap. 2, v. 12) solvendam X tribuum captivitatem his verbis praenuntiare potuit: CONGREGATIONE CONGREGABO IACOB TOTUM TE, IN UNUM CONDUCAM RELIQUIAS ISRAEL; PARITER PONAM ILLUM QUASI GREGEM IN OVILI etc., cum tamen nullibi legamus X tribus in suas sedes amplius restitutas*

dor. in *hist. Tripart. l. 1, c. 49. Nicephor. l. 12, c. 48.*

(4) *III. Reg. c. 22, v. 14.*

(5) Vide *Chronicon Tirini, c. 29.*